Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8321
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

discolis. Hec est enim gratia in Christo Iesu domino nostro. Propter deum namque timorem
et amorem pariter dignum et iustum est unicuique homini suo domino fideliter de-
servire, sive absentibus sive presentibus, quia quodcumque bonum homo fecerit, propter dominum ni-
chil perdet, quia ipse reddet unicuique iuxta opera sua. Semper enim in
vita hominis finis queritur, qualis sit extremo tempore vite sue, quia de
fine suo unusquisque iustificatur aut condempnatur. Ideo instantissime bona
que cepit unusquisque contendat, ut perpetuam a domino mercedem accipiat,
ipso largiente qui vivit et regnat in secula seculorum amen. Dominica III post pascha. Iacobi a.
Ron. Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est descendens
a patre luminum. Et cetera. Et generaliter de omnibus et specialiter de
una quaque a deo virtute data intelliguntur. Potest autem et specialiter datum
optimum de continentia matrimonii, et donum perfectum de virginitate
intelligi. Nam et in baptismi gratia datum optimum, et in datione spiritus
sancti donum perfectum nichil obstat intelligi. Descendens a patre lu-
quia ab ipso
minum. Pater luminum dicitur deus, sive invisibilium luminum, ut an-
geli de quibus in principio dixit deus: Fiat lux, animarum illarum quibus ait Iesus: Vos
estis lux mundi, seu visibilium solis et lune et stellarum, quia ab
ipso omnia generaliter facta sunt. Apud quem non est transmutatio. Non enim
mutabitur qui dixit: Ego sum qui sum. Motus et temporis incrementum et defectus omnino
non accepit divina natura. Nec vicissitudinis obumbratio.
Non enim deus sicut dies post lucem obumbratur a tenebris, qui semper lux lu-
cis, creator omnis et origo est luminis. Voluntarie genuit nos,
per gratiam utique non naturam. Solum enim verbum est quod substantialiter et
proprie dicitur filius dei, ceteri autem potestate accepta ab illo vocantur filii.
Quotquot autem receperunt eum, ait apostolus, dedit eis potestatem fieri fi-
lios dei. Verbo veritatis. Veritas deus pater est, verbum filius eius est, sicut ipse veritas est
† Christus. Verbum veritatis evangelium eius est. Per evangelium inquit Paulus ego vos
genui. Ut simus inicium aliquod creature eius. Inicium creature ratio-
nalis angeli in celo, Adam in terra, in ecclesia veteris testamenti patri-
arche. In ecclesia sanguine Christi redempta apostoli sunt. Nam uni eorum dicitur: Tu
es Petrus et super hanc petram edificabo ecclesiam meam. Quam ecclesiam
apostolus Paulus novam creaturam appellat. Sit autem omnis homo velox ad
audiendum, tardus ad loquendum. Sciebat enim apostolus eos ad quos
epistolas mittebat primatum verbi voluisse tenere et docere. plerumque